

tione damnandi essent illi qui sine praesumptione bona alienarent ecclesiastica; etenim *in dubio quod minimum est sequendum*; ideoque ad unos recipientes sanctio esset limitanda.

Argumenta autem allata a primae sententiae defensoribus firma omnino consistunt, neque eliduntur ab adversariis. Firmum enim est primum argumentum, quia exploratum est in Pii IX capite praesumptionem ad unos recipientes coarctari; unde simpliciter falsum est, nihil de Extravaganti *Ambitiosae* immutasse.

Stat insuper secundum argumentum, quia communiter administratores ecclesiastici sciunt, bona Ecclesiae sine Apostolico beneplacito alienari non posse, atque si faciant excommunicationem incurrere: qua de causa in illis ignorantia vix, aut ne vix quidem concipi potest.

Equidem adversarii affirmant, plurimos esse administratores bonorum ecclesiasticorum qui et legem et adnexam poenam ignorant. (1) Verum haec nugando dici possunt,

(1) Que d'administrateurs des biens d'Églises, ou de lieux pieux ignorent la prohibition de l'Église sur ce point, et les peines dont elle frappe les prevaricateurs! *Revue Théologique Tom. XI, pag. 521.*

vere et serio non possunt. In Administratores enim bonorum ecclesiae non eliguntur bardi et simplices quilibet, sed qui prudenti arbitrio et intellectu exornantur; deinde iis qui sint obtusi ingenii praesunt Episcopi, praesunt superiores religiosi, sine quibus alienatio fieri non potest. Qua de causa ab alienantibus, ut plurimum, ignorantia excludenda est, et unis recipientibus tribuenda; qui reapse cum leges canonicas scire non teneantur, cum insuper supponere non debeant viros ecclesiae contra legem agere in alienandis Ecclesiasticis bonis, bona fide emere possent, quae scienter emere nec possent, nec deberent.

Hinc si hi cum debita scientia legis et poenae adnexae, atque sine beneplacito Apostolico bona emant ecclesiastica, excommunicationem incurrunt; eam tamen non incurrunt si emant etiam cum ignorantia affectata, quia praesumptio excludit quamlibet ignorantiam, ut non semel in nostris Commentariis probavimus.

APPENDIX XXXVII.

De excommunicatione lata in negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare Confessarios vel Sacerdotes a quibus ad turpia sollicitati fuere.

Appendice IX hujus nostri Commentarii *Tom. 1 pag. 305* egimus de confessariis complicem absolventibus in peccato turpi, et casus proposuimus sub lege comprehendendi vel ea excludendi. In praesenti appendice non ita; sed nobis dissendendum est de iis qui culpabiliter omittunt denunciare Confessarios a quibus ad turpia sollicitati fuere. Relatio tamen aliqua intercedit; etenim illi Confessarii sunt denunciandi qui poenitentes suos ad turpia provocant iis actibus et modis seu casibus qui in Gregorii XV, et Benedicti XIV Constitutionibus enumerantur. Porro lex Pii Papae IX ita in Constitutione, quam exponimus, legitur:

« IV. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios, sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecessoribus nostris Gregorio XV Const. *Universi* (20 Aug. 1622), (1) et a Benedicto XIV Const. *Sacramentum Poenitentiae* (1. Jun. 1741). »

Pontifex ergo Pius IX nullos alios casus addit, nullasque novas circumstantias, sed casus instaurat

a Gregorio XV, et a Benedicto XIV recensitos. Allegandae igitur, et expendendae sunt citatorum Pontificum Constitutiones. Porro Gregorius XV in cit. Const. *Universi* hanc quoad utramque sanctionis partem decernit.

« § 4. Praeterea, ne in futurum » de poena his delinquentibus imponenda, et de modo contra eodem procedendi aliquo modo dubitari possit, statuimus, decernimus et declaramus, quod omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedit Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, institutorum, societatum et congregationum regulares, cujuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui per sonas, quaecumque illae sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis hujusmodi etiam ipsa confessione non sequuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque ubi

(1) Haec constitutio in Bullario Rom. Edit. Taurinen. data dicitur die trigesima, non vigesima, Augusti 1622.

» confessiones sacramentales audiun-
 » tur seu ad confessionem audiendam
 » electo, simulantes ibidem confessio-
 » nes audire, sollicitare vel provocare
 » tentaverint, aut cum eis illicitos
 » et inhonestos sermones sive tracta-
 » tus habuerint, in officio Sanctae
 » Inquisitionis severissime, ut infra,
 » puniantur. Et praeterea omnes
 » haereticae pravitatis inquisitores,
 » et locorum Ordinarios omnium
 » regnorum, provinciarum, civi-
 » tatum, dominiorum et locorum
 » universi orbis christiani, in suis
 » quemque Dioecibus et territo-
 » riis per has nostras literas, etiam
 » private quoad omnes alios, spe-
 » cialiter ac perpetuo iudices dele-
 » gamus, ut super his contra prae-
 » dictos, simul vel separatim, in
 » omnibus prout in causis fidei (ju-
 » xta Sacrorum Canonum formam,
 » nec non officii Inquisitionis hu-
 » jusmodi constitutiones, privile-
 » gia, consuetudines et decreta) di-
 » ligenter inquirant et procedant;
 » et quos in aliquo ex huiusmodi
 » nefariis excessibus culpabiles re-
 » pererint, in eos, pro criminum
 » qualitate et circumstantiis, su-
 » spensionis ab executione ordinis,
 » privationis beneficiorum, dignita-
 » tum et officiorum quorumcumque,
 » ac perpetuae inhabilitatis ad illa,
 » nec non vocis activae et passivae,
 » si regulares fuerint, exilii, damna-
 » tionis ad triremes et carceres e-
 » tiam in perpetuum, absque ulla
 » spe gratiae, poenas decernant, eos
 » quoque, si pro delicti enormitate

» graviores poenas meruerint, de-
 » bita praecedente degradatione, cu-
 » riae saeculari puniendos tradant.

» § 5. Dantes etiam facultatem
 » venerabilibus nostris S. R. E. Car-
 » dinalibus generalibus inquisitori-
 » bus (ne delictum tam enorme, et
 » Ecclesiae Dei tam perniciosum,
 » remaneat, ob probationum defe-
 » ctum, impunitum, cum difficilis
 » sit probationis), testibus etiam
 » singularibus concurrentibus, prae-
 » sumptionibus, indiciis, et aliis
 » adminiculis, delictum probatum
 » esse arbitrio suo iudicandi, et cu-
 » riae saeculari, ut praefertur, re-
 » um tradendum esse pronunciandi.

» § 7. Mandantes omnibus con-
 » fessariis, ut suos poenitentes, quos
 » noverint fuisse ab aliis, ut su-
 » pra, sollicitatos, moneant de ob-
 » bligatione denunciandi sollicitan-
 » tes, seu, ut praefertur, Inquisito-
 » ribus, seu locorum Ordinariis prae-
 » dictis: quod si hoc officium prae-
 » termiserint, vel poenitentes do-
 » cuerint non teneri ad denuncia-
 » dum confessarios sollicitantes seu
 » tractantes, ut supra, iidem loco-
 » rum Ordinarii et inquisitores illos
 » pro modo culpa punire non ne-
 » gligant. »

Tria ergo praestitit Gregorius XV,
 et culpas determinavit quae contra
 sextum Decalogi praeceptum, non
 alia, in Sacramenti Poenitentiae ad-
 ministratione, non aliis, committi
 possunt, et poenas gravissimas in
 delinquentes huiusmodi statuit; et
 onus imposuit Confessariis obligan-

di fideles sollicitatos ad denuncia-
 dum sive Inquisitoribus, sive Ordini-
 nariis locorum Confessarios sollici-
 tantes.

Benedictus XIV in Constitutio-
 ne *Sacramentum Poenitentiae*, quam
 in recitato Capite Pius IX allegat,
 confirmatis prius Praedecessorum
 decretis, latisque poenis, perspi-
 cians diabolica astutia Confessarios
 nonnullos fortasse elusisse san-
 ctionem Gregorii XV, casus solli-
 citationis melius determinavit, et
 auxit, ut prorsus a tanto sacramento
 arceret quidquid aliquo modo illud
 in animarum perniciem convertere
 poterat.

Hic statuit § 1. « Committimus
 » et mandamus omnibus haereticae
 » pravitatis Inquisitoribus et loco-
 » rum Ordinariis omnium regnorum
 » etc. ut diligenter, omnique hu-

» mano respectu postposito inqui-
 » rant et procedant contra omnes
 » et singulos sacerdotes tam saecu-
 » lares quam regulares..... qui ali-
 » quem poenitentem, quaecumque
 » persona illa sit, *vel in actu Sa-
 » cramentalis confessionis, vel ante
 » vel immediate post confessionem,
 » vel occasione, aut praetextu con-
 » fessionis, vel etiam extra occa-
 » sionem confessionis in Confessio-
 » nali, sive in alio loco ad con-
 » fessiones audiendas destinato, aut
 » electo, cum simulatione audiendi
 » ibidem confessionem, ad inhone-
 » sta, et turpia sollicitare, vel pro-
 » vocare, sive signis, sive nutibus,
 » sive tactu, sive per scripturam,
 » aut tunc, aut post legendam, ten-
 » taverint, aut cum eis illicitos, et
 » inhonestos sermones vel tractatus
 » temerario ausu habuerint (1). »*

(1) In Commentario nostro *Vol. 1. pag. 345* sententiam defendimus, turpilo-
 quium in Sacramentali confessione comprehendi sub Benedictina Constitutione. Haec
 sententia non omnibus arridet. Clar. Commentator Reatinus *pag. 50, n. 80 Com-
 mentarii Edit. 3.* scribit: « Ad hanc excommunicationem incurrendam necesse
 » est absolvere complicem in peccato turpi. Peccatum turpe heic est: *admissum*
 » *impudicitiae scelus* (Bened. XIV. De Synodo VII. 14. 4.) An igitur et turpia
 » colloquia? Sententia communior affirmat, quia lex non distinguit; minus commu-
 » nis negat, quia versamur in odiosis: ego hanc sequor, quia complex, nisi in fa-
 » cto aliquo, nemo intelligitur, dicitur; et quia *lubricum linguae facile ad poe-
 » nam trahendum non est.* (L. 7. Ad L. Iul. Maiest.) » Petrus Gury *Theol. Mor.
 Tom. II, n. 585* sententiam non pronuntiat, sed quaestioni: *Quid veniat no-
 mine peccati turpis?* Respondet: Venit omne peccatum grave contra sextum De-
 calogi praeceptum, etiamsi non sit copula consumatum; imo licet sit solum tactus
 turpis. Quidam etiam addunt colloquium inhonestum, sed alii contradicunt; et
 haec sententia, inquit Amort, *De poenit. Dist. 10.* est conformior verbis Benedi-
 cti XIV *De Syn. Lib. VII, cap. 14, n. 4.* ubi hoc crimen describit.

Quidquid tamen sit de auctorum discrepantia, a sententia quam in cit. loco
 propugnabimus, recedendum non esse ducimus, cum contraria quolibet fundamento
 destituta nobis videatur. Revera .1. peccatum vel factum apertis verbis sub lege
 inclusum, legis praescripto et poena adnexa eximi non debet. At turpiloquium
 tum a Gregorio XV, tum a Benedicto XIV sub lege fuisse comprehensum, ille
 tantum dubitare poterit, qui non intelligat sensum verborum. Primus enim affir-

« § 2. Meminerint praeterea o- » neri se, ac obligari, suos poeni-
 » mnes et singuli Sacerdotes ad con- » tentes, quos noverint fuisse ab
 » fessiones audiendas constituti, te- » aliis, ut supra sollicitatos, sedulo

mat, gravissime in officio S. Inquisitionis puniendos et consequenter denunciandos Confessarios illos, qui *cum eis* (poenitentibus) *illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint*. Alius vero: *aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint*. At, quaerimus, quid sunt illiciti hi, et inhonesti sermones nisi turpiloquium? Qua materia constat turpe eloquium nisi illicitis et inhonestis sermonibus? Quomodo ergo eloquia turpia lata lege possunt excludi? Atque advertendum est, citatos Pontifices, praesertim Benedictum XIV, antecederet quamlibet sollicitationem sub lege conclusisse factam *verbis, signis, nutibus* etc. Ergo *illiciti et inhonesti sermones*, de quibus postremo loquitur, non pertinent ad sollicitationem proprie dictam seu provocationem ad inhonestam, sin minus admisisset inutilem repetitionem, cum illiciti et inhonesti sermones comprehenderentur sub sollicitatione facta *verbis*. Ergo ne hoc dicamus, illicitos et inhonestos sermones prorsus sub turpiloquio comprehendere voluisse Benedictus XIV dicendus est. 2. Praetermissis ceteris argumentis quae *loc. cit.* nos attulimus, inania prorsus esse dicimus quae primo loco adversarii statuunt ex sententia Benedicti XIV in Synodo; tantum enim abest ut ex illius verbis *admissum impudicitiae scelus* turpiloquium excludatur, ut potius includendum absolute esse ex contextu comperiamus. Et ad rei veritatem en integrum testimonium. » IV. Quamquam autem haec Sanctissimi Praesulis (S. Caroli Borromaei) » statuta, etiam generatim, uti sonant, sunt summopere commendanda, et quilibet antistitum sancte queat eorumdem vestigiis insistere: negari tamen hand » potest, maiorem quamdam et graviorem inhonestatem in eo adesse, ut Sacerdos » illius personae confessionem excipiat, cum qua *impudicitiae scelus admisit*; ac » proinde statim ac nos ad Petri cathedram evecti, totius Dominici gregis curam » suscepimus universali lege ediximus, ne ullus Confessarius *extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem sacramentalem personae complicitis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi, ipso iure, quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab eiusmodi culpa absolvendam, ut legi potest in nostris Apostolicis literis, datis Kalendis Iunii 1741.... Ut porro conscientiarum tranquillitati consuleremus, aliis similibus litteris datis die 8 Februarii 1745.... declaravimus, ad rem de qua agimus perinde esse, nullum adesse Sacerdotem, praeter illum, cum quo poenitens *inhoneste peccavit*, aut eum tantum adesse, quem idem poenitens constitutus in mortis articulo eligere nequit sine periculo se ipsum infamandi, aliisque malam sui suspicionem ingerendi; atque ideo in eo rerum statu, non prohiberi, diximus, Sacerdotem suae impudicitiae complicem absolvere ».*

Profecto a) hoc in testimonio Benedictus XIV auctoritatem urget Constitutionis *Sacramentum poenitentiae* a se latae, in qua disertissime expressit varia peccata, seu varios modos peccandi contra Sextum Decalogi praeceptum qui committi poterant in administrando Sacramento Poenitentiae. Ergo illud *admissum impudicitiae scelus* referri necessario debet, atque sub se concludere omnes illos varios peccandi modos, quos in *cit. Const.* Benedictus XIV recensuit et expressit:

» monere, iuxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denunciandi Inquisitoribus, si » ve locorum Ordinariis praedictis, » personam quae sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui

atqui intor illos sunt *illiciti et inhonesti sermones contra Sextum Decalogi praeceptum*: ergo etiam hi sub *admissum impudicitiae scelere* comprehenduntur. b) Quaerimus ab adversariis: quare inhonesti sermones comprehendi non debeant sub verbis *admissum impudicitiae scelere*? profecto quia *impudicitiae scelus* quid gravius significare videtur quam turpiloquium: esto; sed non negabunt significare etiam quid gravius quam aliquo signo, et nutu poenitentem ad inhonestam provocare; ergo ab impudicitiae scelere etiam provocatio facta nutu et signo est excludenda. c) Cl. Reatinus commentator affirmat, complicem non intelligi, nec dici, nisi *in facto aliquo*. Sed quale est istud factum? Duplex profecto factum contingere in re potest: vel mulierem verbis, nutibus, signis etc. ad peccandum provocare, quamvis ipsa assensum non praestet, vel reapse, assensu praestito, cum ipsa peccare; sed hoc alterum non attenditur, cum Confessarius ab sollicitatione non excusetur si mulier assensum denegaverit; ergo factum comprehensum sub *impudicitiae scelere* est factum verbis, signis, nutibus, tactibus, scriptura aut tunc, aut postea legenda admissum, ergo sub *impudicitiae scelere* comprehenduntur etiam facta verbis admissa; sed turpiloquium nonne est factum verbis admissum? d) Quare allegata facta, quamvis verbis, signis, nutibus manifestata sub *impudicitiae scelere* comprehenduntur? Profecto quia Benedictus XIV illa expressit; at pariter expressit *illicitos et inhonestos sermones*. Ergo et hi comprehendendi sunt. e) Ulterius nemo negaverit, illud *admissum impudicitiae scelus* tantum significare, et tantum complecti, quantum significant et complectuntur verba postea ab eo prolata: *in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum*. Dicant ergo adversarii, et probent, turpiloquium non esse peccatum turpe et inhonestum contra sextum decalogi praeceptum, et victas dabimus manus. f) Quod si ipsi vi vocabuli *impudicitiae* pressius insistere velint, videant, ne ex Constitutione Benedicti XIV omnia excludant, eamque ad nihilum reducant. Etenim impudicus est ille, iuxta vim graeci nominis, qui *pueritiam suam prostratam habet, et proprie qui alienam libidinem excipit*. (Faeciolati. Calepinus septem linguarum.) Quin imo denotat specialiter amorem impudicum erga sexum masculinum, sicut libido erga sexum femineum; impudici hinc infames habiti sunt. *Domit. Ulpian. lib. 1. § 6 de postul. Si igitur impudicitiae scelus* stricto accipiamus sensu, multas corrumpat oportet quae Benedictus XIV statuit, atque praesertim dispositio illa S. Officii, de qua inferius, qua Confessarius sub lege comprehenditur, quamvis sollicitatus fuerit. Equidem dicturi erunt, impudicum et illum dici *qui castus non est*; at illi qui in Sacramento Poenitentiae turpiter loquuntur casti ne dicendi sunt? Igitur Benedictus XIV impudicitiae vocabulum simpliciter adhibuit, ad exprimentum scilicet quodlibet peccatum externum contra sextum Decalogi praeceptum; nervose vero sese expressit in tanti sceleris detestationem. g) Quid demum si Congregatio S. Officii in latis a se decretis diserte affirmaverit, denunciandos eos omnes esse qui in Sacramento Poenitentiae illicitos et inhonestos sermones habeant? at id profecto praestitit in edicto lato die 10 Martii 1677 quod paulo post referemus. h) Exinde vero patet responsio etiam ad aliam rationem a doctissimo d'Annibali adductam, complicem scilicet non intelligi nec dici nisi in facto aliquo; etenim turpiloquium est factum; atque deinde cum actio aliqua mala, quaecumque

» iurisdictione ad absolutionem va-
 » lide impertiendam careat, aut sol-
 » licitatio inter Confessarium et poe-
 » nitentem mutua fuerit, sive sol-
 » licitationi poenitens consenserit,
 » sive consensum minime praesti-
 » terit, vel longum tempus post
 » ipsam sollicitationem iam efflexerit.
 » aut sollicitatio a Confessario non
 » pro seipso, sed pro alia persona
 » peracta fuerit. Caveant insuper
 » diligenter Confessarii, ne poeni-
 » tentibus quos noverint iam ab
 » alio sollicitatos, sacramentalem ab-
 » solutionem impertiant, nisi prius
 » denunciationem praedictam ad ef-
 » fectum perducentes, delinquen-
 » tem indicaverint competenti iu-
 » dici, vel saltem se, cum primum
 » poterunt, delaturos spondeant ac
 » promittant. »

illa sit, lege et poena lata interdicitur, optime complex vocatur ille qui actionis illius complex est. h) Ad postremum argumentum quod *lubricum linguae facile ad poenam trahendum non est*, respondemus, 1°. hanc legem in re locum non habere cum agat de maiestatis crimine, de iis scilicet qui contra principem loquuntur 2°. citata verba referri ad eos qui inadvertenter aliquid contra principem loquuntur. Et in rei veritatem en testimonium. *L. 7 §. 3 ad Leg. Iuliam maiestatis.* « Hoc » tamen crimen non in occasione ob principalis Maiestatis venerationem habendum » est, sed in veritate. Nam et personam spectandam esse a potuerit facere, et an » ante quid fecerit, et an cogitaverit, et an sanae mentis fuerit: *nam lubricum » linguae ad poenam facile trahendum non est*: quamquam enim temerarii digni » poena sint, tamen ut insanis illis parcendum est, si non tale sit delictum, quod » vel ex scriptura legis descendit, vel ad exemplum legis vindicandum est. »

Ex quibus postremis intelligimus, lubricum linguae puniri debere si sub lege aperte comprehendatur, neque malitia actus minuat ob mentis vel advertentiae defectum; quod in casu nostro veritatem non sortitur: turpiloquium enim in Sacramento poenitentiae est peccatum horrendum voluntarie, imo ausu temerario commissum, ideoque non est quid lubricum, et veluti inadvertenter admissum, sed quid prorsus volitum, et convertens Sacramentum poenitentiae a Christo in remissionem peccatorum institutum, in animarum perniciem, et aeternam damnationem.

(1) Comandiamo in virtù di santa obbedienza e sotto pena di scomunica di lata sentenza..... a tutti o ciascuna persona di qualunque stato etc., che fra il termine di un mese.... debbano rivelare, e giuridicamente notificare al S. Offizio,

In citatis Constitutionibus, ut lectores nostri adverterunt, poenitentes sollicitati tantum urgendi erant ad denunciandos confessarios sollicitantes, alii minime. Attamen Supremi Inquisitores Romani die 10 Martii 1677 Edictum tulerant, quo omnes indiscriminatim adigebant sub poena excommunicationis latae sententiae, aliisque poenis in Decretis Romanorum Pontificum contentis ad denunciandos eos qui contra Decreta et Constitutiones Apostolicas abusi sint vel abutantur Sacramento Poenitentiae ut poenitentes ad turpia sollicitent, et cum ipsis ineant sermones inhonestos neque convenientes ad finem, cuius causa Sacramentum poenitentiae institutum fuit. (1)

Dignum quidem inquisitione es-

set, an eiusmodi Decretum latum quidem post Constitutionem Gregorii XV, sed ante Constitutionem Benedicti XIV, in qua unis poenitentibus sollicitatis, prorsus ut primus decreverat, onus denunciandi confessarios sollicitantes imponit, Christi fideles non sollicitatos obbligaret; sed frustra inquireremus, cum Pius IX disertis verbis unos poenitentes sollicitatos ad denunciandum Confessarios sollicitantes nunc cogat sub excommunicationis nemini reservatae poena; quae quidem prima differentia est vetus ius inter et novum. Altera est quod in veteri iure lata excommunicatio reservata, ante denunciationem, erat vel summo Pontifici, vel Supremae Inquisitioni; postquam autem denunciatio facta fuisset, a quolibet Confessario absolvi poterat; at post Pianam Constitutionem, tum antea tum post denunciationem nemini reservatur. Quid ergo? Num ne nunc temporis obligatio denunciandi confessarios sollicitantes unos poenitentes sollicitatos obstringit? Et quidem sub poena excommunicationis vere; ceteri vero omnes qui crimen utcum-

overo agli Ordinarii tutti e ciascuno di quelli, dei quali sappiano, o abbiano avuto, o averanno notizia..... Che contro i Decreti, e Costituzioni apostoliche, abino abusato, o abusino il Sacramento della penitenza, servendosi della Confessione e Confessionario a fini disonesti, sollecitando in essi i penitenti ad turpia, ed avendo con essi discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine, per il quale è stato istituito. Apud Felix Potestà, *Examen Confessariorum Tom. II, Pars 2. Cap. 1. n. 226. pag. 348. Edit. 1745.*

(1) Ille quoque graviter peccat, nec levem contrahit malae credentiae suspitionem, qui in Sacramento Confessionis vel ad venerem, vel ad quaeque flagitia, seu peccata provocat confitentem; et propterea iure etiam optimo iudicio Inquisitorum subiectus est. Verba sunt Peniae in Commentariis ad Directorium Eymerici, *part. 2 Comment. 81 ad quaest. 56.* Et ita etiam alii.

que, sed certa cognitione sciunt, sub gravi denunciare, quamvis sine ulla excommunicatione, tenentur. Sunt enim de haeresi suspecti, ideoque sub gravi denunciandi. (1) Urget de cetero praeceptum Supremae Inquisitionis latum anno 1867, quo n. 3. praescribitur. « Huius » modi denunciations a nemine abs- » que culpa lethali omitti possunt. » Quae de re poenitentes debent ad- » moneri, neque ab iis admonen- » dis instruendisque eorum bona » fides excusat. » Hisce vero praemissis inquireremus:

1. Quinam denunciare Confessarios sollicitantes teneantur?

2. In quibus casibus?

3. Quomodo denunciatio facienda?

Et quantum ad primum attinet, omnes prorsus poenitentes sollicitati, cuiusvis sexus vel aetatis, dummodo doli sint capaces, Confessarium sollicitantem sub excommunicationis poena denunciare tenentur. Lex enim in casu apertissima est, neminem excludens, neminem excipiens: *Negligentes, sive culpabiliter omittentes denunciare.*

At ut eiusmodi incuratur excommunicatio, denunciationis omisio, ex lege lata, culpabilis esse debet; hinc si absque culpa omittatur, nulla excommunicatio incurritur. Culpa vero deesse potest vel ratione ignorantiae, vel gravissimae alicuius circumstantiae, qua poenitens praecepta denunciatione absterreatur.

Ex capite ignorantiae illè lata poena eximendus est qui vel legem, vel adnexam poenam, vel tempus ad denunciationem faciendam praescriptum ignorat. Excommunicatio enim sine contumacia non incurritur; at siquid ex tribus conditionibus recensitis poenitentem sollicitatum lateat, contumax dici nequit, cum contemptus sive legis, sive legislatoris in eo supponi, perfecte saltem, non possit.

Ex Capite vero circumstantiarum excommunicationi subiiciendum non esse illum putamus, qui illius adimplendae causa, vel grave aliquod malum rationabiliter timet,

vel grave incommodum subire debeat. Lex enim ecclesiastica cum gravi non obligat incommodo.

Equidem eiusmodi sententiam Bonacina respuere videtur, dum in *Tractatu de onere et obligatione denunciandi Part. III, n. 11* scribit (1) privatarum personarum incommodis praevalere incommoda quae sequuntur ex abusu Sacramenti. Attamen rationes ab eo adductae tales non sunt quae a communiore sententia nos recedere compellant. Imprimis non agitur de facto intrinseco ex. gr. de mutuo turpiliquio, quod etiam eliminare posset non denunciando suam adhaesionem, sed de extrinseco et ab Sacramento Poenitentiae independente, quod difficulter ab denunciante eliminari possit: hinc secundo, nihil est quod periculum illud raro contingat, agitur enim de periculo quod reapse evenire queat; tertio si Bonacina vixisset post Benedictum XIV, ab hoc sancitum vidisset, posse Sacerdotem sollicitantem

(1) « Non esse valde onerosum poenitenti denunciare confessarium cum quo peccavit, cum possit illius sollicitationem et provocationem ad actus illicitos manifestare, non explicata sua cooperatione et consensu. Respondeo secundo, praecepta etiam humana aliquando obligare cum gravi incommodo, dum ita postulat bonum communitatis, vel religionis, seu dum legislator intentionem habuit obligandi etiam cum gravi incommodo; bonum autem religionis et Sacramenti praeponderat incommodo poenitentis, et legislator etiam in hoc eventu intentionem habuit obligandi, ut colligitur ex illis verbis Gregorii XV, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones habuerint. Contrarium sentire videtur Rodericus de Chuna quaest. 19, ubi fuse probat, metum mortis, aut honoris amittendi seu infamiae incurrendae excusare a denunciatione, quia praecepta humana non obligant cum gravi incommodo; sed contraria sententia, saltem regulariter loquendo, sustinenda est, tum quia fere nunquam huiusmodi periculum imminet; tum quia incommoda quae sequuntur ex abusu Sacramenti poenitentiae in hac materia, praevalent incommodis privatarum personarum. »

complicem absolvere ob periculum infamiae quod immineret; quarto non constat hinc, legislatorem intentionem habuisse obligandi etiam cum gravi incommodo; neque apud Gregorium XV, neque apud Benedictum XIV ulla sententia habetur, qua edicatur poenitentem ad denunciationem obstringi etiam cum gravi incommodo; quin imo recentiori aevo decreta habentur quibus ob eiusmodi poenitens sollicitatus excusatur; etenim in Instructione S. Officii an. 1867 n. 5 praecipitur. « Poenitentes admoniti » et omnino renuentes nequeunt » absolvi; qui vero ob iustam causam denunciationem differre debent, eamque quo citius poterunt » faciendam spondent, serioque promittunt, possunt tunc absolvi; » quinto, quamvis vero bonum Sacramenti praeponderet bono particularis personae, haec tamen ratio in re locum non habet; etenim non agitur de bono Sacramenti, sed de denunciatione facienda, quae extrinseca prorsus Sacramento est; sexto, neque aliquis ex praetermissa vel dilata denunciatione abusus Sacramenti sequi videtur nisi ex suppositione, quod scilicet Confessarius sollicitans pergat et alios, vel eandem personam sollicitare; id autem supponitur, dum e contra periculum gravis damni ex denunciatione reapse imminet. Et ut sententiam ad casum particularem applicemus. Titius Sacerdos in confessione Sacramentali Caiam ad turpia provo-

cavit; universa autem Caiæ familia Titio famulatur, eiusque sustentatur bonis; si Caia Titium denuntiet, hic illico intelligit ex quo fonte denuntiatio processerit, et domo famulatuque poterit Caiæ familiam cum gravi certo damno dimittere. Id autem ipse Bonacina admittit, qui *loc. cit. Punct. 1. § 3. n. 2.* scribit: « Non est obligatio denunciandi quando ex denunciatione » magnum imminet periculum et » detrimentum denuntianti. Quamobrem si ego privatim novi aliquod » delictum quod etiam delinquens » novit a me sciri, ita ut possit » colligere, denunciationem a me » factam fuisse, et non ab alio, non » teneor denunciare, quoties ex denunciatione periculum mihi impendet in vita, vel in bonis etc., » nam edictum cum sit benigne » explicandum, non obligat cum » tanto incommodo, modo crimen » non vergat in detrimentum et » damnum publicum; bonum enim » commune praeferendum est privato. » Quod certe in casu nostro non contingit. Equidem Bonacina, alios casus inter, excipit denunciationem Confessarii sollicitantis, at non perspicimus quo iure.

Haec demum est communis Doctorum sententia; satis sit excribere quae profert Roncaglia *Universa Moralis Theologia Tract. XIX De Confessario sollicitante Cap. II p. 116* qui iis etiam respondere videtur quae *loc. cit.* Bonacina inducit: « Si » vere et rationabiliter ex denun-